



Jus Canonicum In V. Libros Decretalium Distributum

novâ Methodo explicatum, Omnibus Capitulis Titulorum (qui in Antiquis, & novis Libris Decretalium continentur) promiscuè & confusè positis, in ordinem doctrinæ digestis. Adjunctis Aliis Quæstionibus Connexis, Quæ Ad Plenam Cujusque Tituli, Aut Materiæ Cognitionem, Et Expositionem Pertinent. ...

Respondens Libro secundo Decretalium : In Quo Ordo Judiciarius, Et Qvæ Ad Judicia Pertinent, Secundùm Utrumque Jus, Canonicum, & Civile Methodicè Tractantur, & Exponuntur ; Additus Est, Præter Synopticum Et Methodicum, Alius Index Alphabeticus A Pluribus Desideratus

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1675

Titulus. XXX. De Confirmatione utili, vel inutili.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98191](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98191)

constituti sub eiusdem protectione, & si quid durante itinere, ijs ablatum fuerit, restituendum est; quia contra peregrinantes ad Sedem Apostolicam nihil est innovandum. n. 2. Idque extenditur, siue aliquid contra eos attentetur ipso facto, extra Iudicium, siue intra per sententiam Iudicis. n. 3. Illi, qui Romipetas, seu peregrinantes Romam spoliant, vulnerant, detinent, incurrunt etiam excommunicationem reservatam Papæ in Bulla Cœnæ. n. 4. Habet autem talis protectio vim appellationis. n. eodem.

Cap. Vnicum. n. 2.

TITULUS XXX.
DE CONFIRMATIONE UTILI,
vel inutili. pag. 659.

§. I. Quid, & quotuplex sit confirmatio? pag. 659.

ASSERTIO I. Confirmatio est juris prius habiti per legitimum Superiorem facta corroboratio: eaque fit dupliciter, vel tanquam per se necessaria ad complendum actum, vel ut ei firmitatem solum tribuat. n. 1. Assert. II. Duplex est confirmatio, una simplex, seu in forma communi, altera in forma speciali, seu ex certa scientia. n. 2. Differunt inter se hæc confirmationes; quia, quæ fit in forma communi, nullum novum Ius, neque valorem tribuit actui confirmato, sicut illa, quæ fit in forma speciali, & ex certa scientia. n. 3. & 4.

§. II. Ex quibus signis cognosci possit, quod confirmatio alicuius dispositionis, vel actus facta sit in forma communi, vel speciali? pag. 660.

ASSERTIO I. Omnis confirmatio censetur facta in forma communi, & ordinaria, nisi signum apponatur, ex quo constet, illam factam esse in forma speciali. n. 5. Assert. II. Confirmatio in forma speciali, siue ex certa scientia censetur facta, si Rescripto confirmationis totus tenor dispositionis, seu actus, qui confirmatur, inseratur. n. 6. Declaratur n. 7. Assert. III. Aliud signum confirmationis factæ in forma speciali est, si in literis addatur clausula: ex certa scientia. n. 8. Sunt tamen plures casus, in quibus confirmatio facta in forma speciali, seu ex certa scientia, non tribuit jus, seu valorem actui secundum se irrito. n. 9. Hinc non potest Papa per solam confirmationem suam, etiam factam ex certa scientia, Professionem Religiosam, vel matrimonium ob defectum consensûs Professionem emittentis, vel contrahentis matrimonium, validare. n. 10.

§. III. Quando confirmatio sit utilis, seu valida, & quando inutilis, siue invalida? pag. 662.

ASSERTIO I. Quando res est litigiosa, & aliquis impetrat confirmationem à Papa, hoc tacito, confirmatio non tenet; quia subrepticia est, & potest Iudex, eâ non obstante, de causa cognoscere: si verò impetrans confirmationem pacificè possidebat, sed postea lis orta sit, tunc Iudex non potest de eâ cognoscere, vel eam definire, siue mandato Sedis apostolicæ. n. 11. Idque declaratur n. 12. & seq. Assert. II. Contra confirmationes Papæ nullus iudicare potest, sine speciali eius mandato, vel nisi certum sit, quod per falsi suggestionem sint obtentæ. n. 14. Id tamen intelligendum est de confirmationibus factis in forma speciali, seu ex certa scientia, non autem communi. n. 15. An, si mentio fiat de confirmatione simpliciter, id in dubio intelligi debeat de confirmatione in

forma communi; an verò in forma speciali, seu ex certa scientia? n. 16. Assert. III. Si quis appellat sententia, & impetret litteras à Papa, ut retractetur sententia contra se lata: appellatus verò preveniens impetret à Papa confirmationem sententiæ, non facta mentione de appellatione; tunc non valent illæ litteræ confirmatoriæ prius obtentæ, sed posterior primæ appellantis: si verò in literis prioribus mentio facta sit de appellatione; tunc, etsi in secundis litteris clausula adiecta sit (nullo præiudicio facto iustitiæ, & veritati) valent primæ litteræ confirmatoriæ sententiæ, donec de iniquitate sententiæ cognitum fuerit: secus est, si in secundis litteris specialis mentio fiat de literis confirmationis prius impetratis; tunc enim istæ non valent. n. 17. Declaratur n. 18. Assert. IIII. Confirmatio, quam Religiosus à Papa super Prioratu, vel alia temporali administratione pro sua persona impetravit, tacendo, quod sit Religiosus, est irrita. n. 19. Nam regulariter Monachis Prioratus, & administrationes temporales non confirmantur, si huiusmodi confirmationes exhibeant, tanquam falsarij puniendi sunt, & litteræ confirmationis, veniente tacitâ, impetratæ non valent. n. 20. An, si Papa confirmet Religiosum in beneficio Regulari ad vitam suam, is nihilominus à Prælato suo amoveri possit, & quid si Religioso conferatur beneficium seculare, e.g. Parochia? n. 21. Si Administratores perpetui beneficiorum confirmantur à Papa, confirmatio eorum non valet, nisi id in ea exprimat. n. 22. Confirmatio generalis statutorum, vel privilegiorum non extenditur ad illicita. n. eod. Assert. IV. Sententia, seu laudum contra formam juris, vel compromissum latum per Arbitros, licet communi consensu utriusque partis sit receptum, & à Papa confirmatum in forma communi, non valet. n. 23. & seq. Assert. V. Quando per Legatum Papæ confertur Ecclesia, vel beneficium, & confirmatur deinde à Papa, per huiusmodi appellationes, & confirmationes non tolluntur iura Diocesani, sed manet provifus subiectus Diocesano in iuribus ordinarijs. n. 25.

§. IV. An innovatio privilegiorum habeat vim confirmationis, ita, ut novum jus tribuat? pag. 667.

Quamvis privilegia, sicut & alia instrumenta, propter vetustatem, ne corrumpantur, & pereant, renovari possint: tamen, sicut confirmatio privilegiorum, ita & innovatio nihil novi juris tribuit; sed antiquum, si quod competeat, conservat, & corroborat. n. 26. Si innovatio privilegij fiat in forma communi, nec non tribuit novum jus, sicut nec confirmatio facta in forma communi: si verò innovatio fiat ex certa scientia, tunc novum jus tribuit, sicut & confirmatio facta in forma speciali. n. 27. Si periculum sit, ne Instrumenta pereant, & corrumpantur, possunt renovari etiam absente parte adversâ, dummodo Originale non sit ita corruptum, quin adhuc legi possit. n. 28.

SERIES CAPITULORUM.

IN ANTIQUIS.

Cap. I. n. 11. & duob. seqq. c. 6. n. 20. & duob. seqq.
c. 2. n. 14. & seq. c. 7. n. 23. & seq.
c. 3. n. 17. & seq. c. 8. n. 6. & seq.
c. 4. n. 26. & duob. seqq. c. 9. & ult. n. 25.
c. 5. n. 19.